

bunt utilitatis, si qui eos proponere & explanare audientibus debent, minus docendo sint ipsi idonei. Itaque permagni interest, ut ad hoc munus Christianæ doctrinæ populo tradendæ homines eligatis, non modò sacrarum rerum scientia præditos, sed multò magis & humilitate, & sanctificandarum animarum studio & charitate flagrantes. Tota enim Christiana disciplina non in abundantia verbi, non in astutia disputandi, neque in appetitu laudis & gloriæ, sed in vera & voluntaria humilitate consistit. Sunt enim, quos major quidem scientia erigit, sed à cæterorum societate disjungit; & quò plus sapiunt, eò à concordia virtute desipiunt: qui Sapiencia ipsa, Dei Verbo, admonentur: Habete <sup>(a)</sup> sal in vobis, & pacem habete inter vos: ita enim sapientiæ sal habendum, ut eo proximi amor custodiatur, & infirmitates condiantur. Quod si à sapientiæ studio, à cura etiam proximi ad discordias vertantur, sal sine pace habent, non virtutis donum, sed damnationis argumentum, & quod melius sapiunt, eo deteriorius delinquant: quos quidem damnat Jacobi Apostoli sententia illis verbis: Quod si zelum <sup>(b)</sup> amarum habetis, & contentiones sint in cordibus vestris, nolite gloriari, & mendaces esse adversus veritatem: non est enim ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica: ubi enim zelus est & contentio, ibi inconstantia & omne opus pravum. Quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia & fructibus bonis, non judicans, sine æmulatione. Deum ergo dum in humilitate cordis, & afflictione animæ deprecamur, ut diligentia atque industriæ nostræ conatibus suam impertiat indulgentia & misericordiæ largitatem, ne dissensio populum fidelem disturberet, utque in vinculo pacis, & in charitate spiritus unum sapiamus omnes, unum laudemus & glorificemus Deum, & Dominum nostrum Jesum Christum. Vos, Venerabiles Fratres, salutamus in osculo sancto; vobisque omnibus, itidemque cunctis Ecclesiarum vestrarum Fidelibus Apostolicam Benedictionem amatissimè impertimur.

Datum in Arce Castri Gandulphi die XIV. Junii MDCCLXI.  
Pontificatus nostri Anno III.

<sup>(a)</sup>  
Marc. 9.  
49.

<sup>(b)</sup>  
Jacob. 3.  
14.

BULLA SS. D. N. D. PII  
DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ QUARTI.

Super forma Juramenti Professionis Fidei.

PIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI,  
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

*Injunctum nobis Apostolicæ servitutis officium requirit, ut ea quæ Dominus omnipotens ad providam Ecclesiæ suæ directionem, sanctis Patribus, in nomine suo congregatis, divinitus inspirare dignatus est, ad ejus laudem & gloriam incunctanter exequi properemus. Cum itaque juxta Concilii Tridentini dispositionem omnes, quos deinceps Cathedralibus & superioribus Ecclesiis præfici, vel quibus de illarum dignitatibus, canonicalibus & aliis quibuscumque beneficiis Ecclesiasticis curam animarum habentibus provideri contingeret, publicam orthodoxæ Fidei professionem facere, seque in Romanæ Ecclesiæ obedientia permansuros spondere & jurare teneantur; Nos volentes, etiam per quoscumque, quibus de Monasteriis, Conventibus, Domibus & aliis quibuscumque locis Regularium, quorumcumque Ordinum etiam Militarium, quocumque nomine, vel titulo providebitur, idem servari, & ad hoc, ut unius & ejusdem Fidei professio uniformiter ab omnibus exhibeatur, unicaque & certa illius forma cunctis innotescat, nostræ sollicitudinis partes in hoc alicui minime desiderari, formam ipsam præsentibus annotatam publicari, & ubique gentium per eos, ad quos ex decretis ipsius Concilii, & alios prædictos spectat, recipi & observari, ac sub pœnis per Concilium ipsum in contravenientes latis, juxta hanc & non aliam formam, professionem prædictam solemniter fieri, auctoritate Apostolica tenore præsentium districtè præcipiendo mandamus, hujusmodi sub tenore. Ego N. firma fide credo & profiteor omnia & singula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, visibilium omnium & invisibilium; & in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum, & ex Patre a-*

tum

tum ante omnia sæcula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantiali Patri, per quem omnia facta sunt: qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis, & incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus & sepultus est, & resurrexit tertia die secundum Scripturas, & ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris, & iterum venturus est cum gloria judicare vivos & mortuos; cuius regni non erit finis: & in Spiritum sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit: qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas: & unam sanctam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum, & expecto Resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi. Amen. Apostolicas & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes & constitutiones firmissime admitto & amplector. Item sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam, nisi juxta unanimum consensum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque, septem esse vere & proprie Sacramenta novæ Legis à Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem & Matrimonium, illaque gratiam conferre, & ex his Baptismum, Confirmationem & Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemnè administratione recipio & admitto. Omnia & singula, quæ de peccato originali & de Justificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita & declarata fuerunt, amplector & recipio. Profiteor pariter, in Missa offerri Deo verum, proprium & propitiatorium Sacrificium pro vivis & defunctis; atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse vere, realiter & substantialiter Corpus & Sanguinem, una cum Anima & Divinitate Domini nostri Jesu Christi, fieri-

que

que conversionem totius substantiæ panis in Corpus, & totius substantiæ vini in Sanguinem; quam conversionem Catholica Ecclesiâ Transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, Animasque ibi detentas Fidelium suffragiis juvari. Similiter & Sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime assero, Imagines Christi ac Dei paræ semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas & retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendum. Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maximè salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam & Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem & magistram agnoscō; Romanoque Pontifici, beati Petri Apostolorum Principis successori, ac JESU Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac juro. Cætera item omnia à sacris Canonibus & Œcumenicis Conciliis, ac præcipuè à sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita & declarata, indubitanter recipio atque profiteor: simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas rejectas & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio & anathematizo. Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsentem sponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram & inviolatam, usque ad extremum vitæ spiritum, constantissimè (Deo adjuvante) retinere & confiteri, atque à meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri & prædicari, quantum in me erit, curaturum: Ego idem N. spondeo, voveo ac juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

Volumus autem, quod præsentis Litteræ in Cancellaria nostra Apostolica de more legantur: & ut omnibus facilius pateant, in ejus Quinterno describantur, ac etiam imprimantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum

Pe-

<sup>x</sup>  
*Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.*  
*Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Do-*  
*minicæ MDLXIV. Id. Novemb. Pontificatus nostri an. V.*  
*Fed. Card. Cæsius.*

Cæsius Glorierius.

*Lectæ & publicatæ fuerunt suprascriptæ Litteræ*  
*Romæ in Cancell. Apostol. Anno Incarnat. Dominicæ*  
*MDLXIV. Die vero Sabbati, 9. Mensis Decemb. Pon-*  
*tificatus Santiss. in Christo Patris, & D. N. D. Pii*  
*Papæ IV. Anno V.*

A. Lomellinus Custos.

Ex Conc. Trident. sess. 34. de reform. cap. 7.

*Ut fidelis populus ad suscipienda Sacramenta majori*  
*cum reverentia atque animi devotione accedat, præcipit*  
*sancta Synodus Episcopis omnibus, ut non solum cum hæc*  
*per seipsos erunt populo administranda, prius illorum vim*  
*& usum pro suscipientium captu explicent, sed etiam idem*  
*à singulis Parochis piè prudenterque etiam lingua vernacula,*  
*si opus sit, & commodè fieri poterit, servari studeant:*  
*JUXTA FORMAM A SANCTA SYNODO IN CATECHESI*  
*SINGULIS SACRAMENTIS PRÆSCRIBENDAM, quam Episcopi*  
*in vulgarem linguam fideliter verti, atque à Parochis*  
*omnibus populo exponi curabunt.*

TY-

<sup>xy</sup>  
TYPOGRAPHUS TAURINENSIS

LECTORI.

Catechesim Romanam, sive *Catechismum ad Parochos ex Decreto Sacrosancti Concilii Tridentini* typis meis consignaturus, nihil dubitavi antiquiores Editiones, tamquam exemplar omnium correctissimum, mihi ante oculos ponere. Eas nihilominus cum aliis multis recentioribus, quæ ubique ferè Orbis Christiani promulgatæ sunt, prius conferre visum est, non solum, ut discrimen, quod inter illas esset, dignoscerem & annotarem, sed etiam, si qua lectio in iis aptior occurreret, eam non præmitterem; & legentibus indicarem: præsertim cum Typographi Veneti, Dominicus Farreus & Georgius Angelerius, qui iis temporibus, quibus celebratum est Concilium Tridentinum, edendis libris operam dabant, in sua Catechismi Romani Editione se quam plurima menda sustulisse fateantur, quæ in primam Romanam Typographi incuria irreperant. Quid ni aliqua adhuc sint eorundem Typographorum, vel indiligentia, vel ignorantia, quæ correctione indigeant? Omnes igitur, quotquot mihi præstò erant, diligenter percurri, & alteram cum altera contuli; primùm Manutianam sive Romanam, quam Paulus Manutius jussu Pii V. Pontificis Maximi primùm Romæ vulgavit; deinde Venetas, non multis annis post Manutianam editas, scilicet Farrei ann. 1574. & Angelerii 1586. postea Patavinas sive Seminarii Patavini ann. 1714. 1744. 1750. Bassanensem 1749. & Venetam Italicam 1760. Denique Parisiensem ann. 1738. Lovaniensem 1744. Lugdunensem 1741. Harum nullam planè concordem deprehendi; Patavinam præsertim admodum discrepantem. Unde tantum discriminis derivatum sit, definire non ausim. Spernendæ tamen non videntur, imò amplectendæ nonnulla ejus lectiones, quas suis locis singillatim notatas Lector inveniet. Comparatis itaque inter se primis & posterioribus Editionibus, hanc meam, quam diligentissimè fieri potuit, elaboravi, sublatis mendis quamplurimis & adjectis passim, quæ majoris momenti videbantur, variantibus lectionibus. Quo magis autem Parochorum & Clericorum commodo inservirem, distinctionem in Capita & Sectiones, quæ desideratur in Romana & Venetis antiquioribus (unius etenim instar versus omnia complectuntur) & in reliquis est Editionibus, libenter amplexatus sum; & eò libentiùs, quod ipse Pius V. Pontifex Maximus molestè tulerit, hanc divisionem in illa Manutiana Editione omissam fuisse. Scribit enim ad Cardenalem Stanislaum Episcopum Warmiensem commendans illi fidelem Catechismi Romani translationem in linguam Polonicam:

cam: *Illud admonemus, ut librum cures in totidem partes, quot sunt res, quæ ejus initio explicandæ ponuntur, didicendum, & unamquamque earum partium suis Capitibus aptè distinguendam; quod in prima ejus Editone, quorundam incuria, parum diligenter factum esse, moleste tulimus* (1). Unde factum est, ut aliæ in aliis Editionibus sint Capitum & Sectionum divisiones, & alia etiam rerum argumenta. Quin lacunam, quæ est in Manutiana capite *de nono Symboli Articulo*, & quam Typographi etiam Veneti antiquiores, Lovanienses, Lugdunenses & Parisienses implere ausi non sunt, desumptis ex libro 9. S. Ambrosii Comment. in Lucam cap. 9. verbis, præeunte Seminarii Patavini Editione, ego fidenter replevi; ac libros & Capita in margine adjeci, unde Patrum testimonia sumpta fuerunt (antiquæ enim Romana & Veneta 1574. non nisi Scriptorum nomina apposuerunt) tum Sanctorum Patrum & Scripturarum sententias, quibus Catechismi doctrina corroboratur. Alio etiam caractere textum, & alio testimonia Scripturarum & Sanctorum Patrum descripsi, quod à Manutio & antiquis Venetis Typographis neglectum est. Triplicem præterea Indicem ex Editionibus Parisiensi, Lovaniensi, Lugdunensi, Patavina in meam transtuli; primum argumentorum principium, alterum Capitum & Sectionum totius operis; tertium Evangeliorum Dominicalium, quæ singulæ partes Catechismi in usum Parochorum referri & accomodari possunt: ut propterea in spem certam adducar, fore ut Taurinensis Editio, si non characterum elegantia, & carthæ nitore, correctione tamen & usu cæteris præstet, atque adeo anteposenda sit. Hæc sunt, de quibus te, benigne Lector, monitum volui.

(1) Ex vita S. Pii V. apud Laderchium.

## DE AUCTORIBUS ET SCRIPTORIBUS CATECHISMI ROMANI.

**S**acrosanctæ Tridentinæ Synodi Patres in fine postremæ Sessionis, quæ habita est sub Pio IV. prid. non. Decembr. MDLXIII., statuerant, ut cura Catechismi Parochorum condendi, Missalis & Breviarii reformandi (quorum gratia jam antea nonnullos præclaros viros designaverunt, qui temporis angustia nihil conficere potuerunt) ad ipsum summum Pontificem remitteretur. Et quidem quod attinet ad Catechismum, idem Pius IV. aliquot doctissimis Episcopis ac Theologis anno sequenti negotium dedit (curante in primis Carolo Cardinali Borromæo), ut materiam pararent, quæ utilissimo operi apta esset. Præcipui inter hos fuere Mutius Calinus (1), Leonardus de Marinis (2), Ægidius Fuscariarius (3), & Franciscus Forerius (4). Præterea in eodem genere laborasse dicuntur Cardinalis Seripandus (5), Michael Medina (6), Petrus Galesinus (7), ut est apud Guerinois (8).

Comparatis & collectis quæ dicenda erant, selecti sunt tres Latine lingue facultate præstantes, qui stilo eleganti & polito edissererent, & rerum dignitatem sermonis nitore, & verborum ornamentis æquarent.

Hi fuerunt

Mutius Calinus,  
Petrus Galesinus,  
Julius Pogianus (9).

Cum vero ipsum Opus in quatuor partes tribuatur, omnem laborem ita partiti sunt, ut duas sibi sumeret Calinus, de Articulis Fidei & Sacramentis: tertiam de Decalogo Galesinus: quartam, quæ est de Oratione Dominica, Pogianus. Hic vero in ea scriptione postremos quatuor menses anni MDLXIV. impendisse se scribit in epistola ad Annibalem Minalem data mense Decembri ejus-

ejusdem anni. Anno sequenti MDLXV. suo quisque penso confecto, duo priores scriptionem suam Pogiano deferri voluerunt, ut recenseret, emendaret, ac unum veluti colorem toti Operi adlineret, ne stili varietas auctoritatem dictorum aliquatenus elevaret, & Liber ipse multorum verbis quasi consarcinatus videretur. Quod ille quidem libenter præstitit, non ita tamen, ut non appareat attentè inspicienti discrimen aliquod dicendi, præsertim extremæ partis à reliquo corpore. Itaque verè affirmarunt, & qui partem libri à Pogiano scriptam dixere, & qui totum. Potuit eum videri scripsisse totum, qui universum recensuit, & intenta diligentia percucurrit.

Defuncto sub finem anni MDLXV. Pio IV. successit est ejusdem nominis Quintus, sub quo Carolus Cardinalis Borromæus, cui Quartus fuerat avunculus, non destitit urgere, ut Catechismus ederetur. Quare secundo recognoscendus ac poliendus traditus est Cardinali Sirloto (10), Mutio Calino, & Leonardo de Marinis iterum, Thomæ Manrique (11), Eustachio Locatello (12), & Curtio Franco (13) S. Petri Canonico.

Extrema tandem imposita manu tam utili Ecclesiæ Dei libro, ante mensem Sextilem anni MDLXVI. delectus est, qui typis ederet, Paulus Manutius Aldi filius. Hic mense Octobri ejus anni cum privilegio Pontificis Pii V. in ædibus populi R. formis impressit, nitidis litteris, polita charta, & sine sectionibus, aut synopsis, primum in folio minori, deinde in octavo, ut dicunt. Et cum Alexius Filiuccius (14) Italice vertisset, hæc etiam editionem fecit: vulgavitque omnia. In alijs exemplaribus, quæ postea edita sunt, nescio quis sectiones addidit & synopses.

Non satis habuit Pius V. triplicem exemplarium copiam emisisse, sed Gallicè, Germanicè, Polonicè quoque verti jussit à Patribus Societatis Jesu, ut quam latissime Fidei regula, & morum disciplina illo Opere explicata disseminaretur.

Non me latet esse nonnullos eosdemque gravissimos viros, inter quos doctissimum in litteraria historia Apostolum Zenium (15), qui alios Catechismi scriptores faciunt, verbi gratia Paulum Manutium, Cornelium, aut Joan-

Joannem Baptistam, aut Atilium Amaltheum, & alios: quos luculentis testibus & tabulis, ut dicitur, erroris arguit Hieronymus Lagomarsinus, à quo pleraque hæc sumpsimus.

(1) Mutius Calinus Brixianus nobilis civis, vir multæ pietatis & religionis, & multarum rerum scientia, & Latinæ Linguæ peritia ornatus, Episcopus fuit primum Jadrensis (*di Zara*), postea Interamnas (*di Termi*). Laboravit jussu Pii IV. & V. in Catechismo, in Indice librorum prohibitorum, in Breviario & in Missali. Obiit Interamnæ.

(2) Leonardus de Marinis patricius Januensis, Ordinis Prædicatorum, à Julio III. creatus Episcopus Laodicensis in partibus Infidelium, & Suffraganeus Episcopi Mantuani, postea à Pio IV. factus Archiepiscopus Lancianensis in Calabria, & missus Tridentum ad Concilium, ibi strenuè se gessit. Ter legatione functus est apostolica ad magnos Principes: denique ad Aldanensem Episcopatum translatus, obiit Romæ tert. Id. Jun. MDLXXIII. annos natus LXIII. Operam posuit in Breviario & Missali Romano reformandis, & in Catechismo componendo & poliendo.

(3) Ægidius Fuscararius, vel Fuscherarius, nobilis Bononiensis, Ordinis Prædicatorum, Romæ sub Paulo III. fuit Magister sacri Palatii. A Julio III. creatus est Episcopus Mutinensis. A Paulo IV. in carcerem Romæ conjectus ob falsam de Fide suspicionem post septem menses dimissus est, sine ulla tamen existimationis jactura. Nam à Pio IV. jussus Tridentino Concilio interesse, illustria dedit sanæ Religionis, eximie doctrinæ & prudentiæ documenta. Obiit Romæ MDLXIV. decimo cal. Januar.

(4) Franciscus Forerius, seu Fureirius, Lusitanus, Ordinis Prædicatorum, vir studiis humanitatis & Theologiæ insignis, missus est à rege Portugalliæ Theologus ad Concilium Tridentinum, in quo tam claro efulsit ingenii lumine, ut cum peracta Synodo reditum pararet, retentus sit à Carolo Cardinali Borromæo, petita per litteras venia à rege Lusitano, ut in Catechismo condendo navaret operam. Obiit in patria IV. Id. Jan. MDLXXXI.

Qui Secretarium Concilii dixerunt, falsi sunt. Hoc enim munere functus est non in Concilio, sed in Congregatione eorum Patrum, quibus datum erat negotium Indicis librorum prohibitorum conficiendi.

(5) Hieronymus Seripandus Neapolitanus, S. R. E. Presbyter Cardinalis titulo S. Susannæ, missus à Pio IV. Tridentinum Legatus, auctoritate & doctrina Concilio præfuit. In ipso munere ibidem obiit XV. calend. April. MDLXIII. sepultusque est in Eccl. S. Marci Ordinis Eremitarum S. Aug. quorum olim fuerat Generalis præses.

(6) Michael Medina Ordinis Minorum de Observantia, ut vocant, Hispanus, interfuit Synodo Tridentinæ inter Theologos eo missos à Philippo II. Hispaniarum rege, vir Hebraicis, Græcis & Latinis litteris eruditus, & Catholicæ Religionis tum voce, tum scriptis fortis defensor.

(7) Petrus Galesinus, Mediolanensis, Protonotarius Apostolicus, linguarum Hebraicæ, Græcæ, Latinæque doctus, & historiæ Ecclesiasticæ, scripsit adnotationes in Martyrologium, & alia multa, etiam graviora, quæ recensentur à Bibliotecarum Scriptoribus. Vixit usque ad tempora Syxti V.

(8) Guerinois in Clypeo Philosophiæ Thomisticæ, To. 3. part. 1. art. 4. §. 4. Sed Continuator Wadingi ad ann. 1562. nihil hac de re.

(9) Julius Pogianus Sunensis (Suna est oppidulum ad lacum Verbanum in Diocesi Novariensi) natus est Id. Septembr. MDXXII., mortuus autem mense Novembr. MDLXVIII. annos natus XLVI. Ejus vitam scripsit Antonius Maria Gratianus Ameriæ Episcopus, quam luculentis adnotationibus illustravit Hieronymus Lagomarsinus Soc. Jesu, ediditque Tomos II. Epistolarum ejusdem Pogiani. Hic Latinæ eloquentiæ facultate maximè excelluit, fuitque ab Epistolis trium subinde Cardinalium Dandini, Truxii, Borromæi, denique octo simul sub Pio IV. & duodecim sub Pio V. Cardinalium Concilii Trident. Interpretum. Scripsit etiam Acta Concilii primi Provincialis Mediolanensis, & Romani Breviarii multas historias sub Pio V. cui ab Epistolis Latinis fuisset ejus iavitatu, nisi mors prohibuisset.

(10) Guilielmus Sirletus, Stili Calabriæ oppido natus non genere, aut divitiis, sed virtutibus & doctrina nobi-

bilis, Hebraice, Græcæ & Latine Neapoli eruditus Romam venit, & Paulo IV. ac Borromæo Cardinali carus fuit. Hujus commendatione Episcopus, & paulò post Cardinalis factus est ab eodem Pontifice, & adhibitus à Pio V. in recensendo Catechismo, postquam ab aliis scriptus fuerat. Vixit annos LXXI. Obiit MDLXXXI.

(11) Thomas Manrique Hispanus, nobili genere natus, in Ordine Prædicatorum adeo eruditione & prudentia excelluit, ut suorum Romæ Procurator, & post paucos annos Magister sacri Palatii à Pio IV. creatus sit: & à Pio V. Præbendâ Theologali instituta in Vaticana Basilica, primus ibi doctrinæ Thomisticæ publicè tradendæ præfectus. Obiit Romæ MDLXXIII.

(12) Eustachius Locatellus nobilis Bononiensis, Ordinis Prædicatorum, floruit sub Pontificibus Paulo IV. & V. Huic à sacris fuit Confessionibus, & ab eo creatus est Episcopus Regii Lepidi. Obiit MDLXXV. pridie idus Octobr. annos natus LVII.

(13) Curtius Francus. De hoc nihil adhuc scriptum reperi: sed nulli dubium esse potest, quin præstanti doctrina vir fuerit, cum doctissimis viris in Catechismo recensendo comes additus sit.

(14) Alexius Filuccius Senensis, Ordinis Prædicatorum, orator Evangelicus, & poeta, Græcæ & Latine doctus, scripsit Italice & edidit de Philosophia moralis: vertit Philippicas Demosthenis, Epistolas Marsilii Ficini, Olai Magni historiam, & jussu Pii V. Catechismum, ut dictum est. Putant aliqui, Concilio Tridentino interfuisse, ibique orationem habuisse.

(15) Apostolus Zenus, clarissimum in litteris nomen in adnotatis ad Bibliothecam Italicam Justi Fontanini part. 2. pag. 131.

MDCCLXII. cal Februar.

Æ. F.

## OMNIBUS ECCLESIAE CATHOLICAE PASTORIBUS.

P. D. L. H. P. in Edit. Lug. 1690.

*Magnificate gregem pro quo Christus mortuus est.*

**C**atechismum vestrum, Pastores vigilantissimi, quem omnibus vobis motu proprio sacroque jure communem fecerat S. Memoria Pius V. Summus Pontifex, vestrum uni dumtaxat, aut ad summum vestrum aliquibus, factum esse privatum, equidem ægré sustinens, ab illauidabili, in quo erat, etiam ementito nomine possessum, studui vindicare: tandemque factum fuit. Vobis illum ut suis restituo reddoque quo potiamini: (a) *deceat enim concessum à principe beneficium esse mansurum*, nec licet, quod publicum est, à privatis ut suum, quid usurpari, quia est sacrum..... Superest modo ut, quod non à me, nec ab alio quopiam ullo quàm à summo Pontifice, in illoque ab ipso Christo Salvatore ex divina munificentia vobis omnibus offertur ultrò: tum pro dignitate muneris: cum pro singulari merito tribuentis, illud æstimantes, grato exceptum animo, revereamini, & secundum sacrosanctæ Synodi Tridentinæ propositum, ex vestro sit usu sæpius, *ne parvuli petant panem, & non sit qui frangat eis*: utque sacra eloquia & monita salutis, quibus inter missarum solemnias, aut divinorum celebrationem greges Domini pascantur, ad manum sint, & quasi manna, quæ vel uti nutrices infantibus, in os inseratis, hic liber vobis esto promptuarium: quod quidem quanto fuerit instructum apparatu, quibusnam & quanti nominis Doctoribus hoc opus demandaverit Ecclesia, à quo & quàm sollicitè sit acceleratum, & tandem absolutum, à quibus comprobatum fuerit antequam vobis exhibitum, ejus utilitates & usus, qui sequitur Apparatus declarabit: prælegite & valete.

### APPARATUS AD CATECHISMUM.

#### ARTICULUS PRIMUS.

*Cur & quando Tridentina Synodus edendum decreverit  
Catechismum.*

**C**um omnia essent odiis & dissensionibus plena (dissentientibus præsertim Principibus iis inter se, quibus summa rerum penè omnis à Deo permissa est) cum schismatibus & hæresibus ja-

(a) De Reg. juris, in 6, Reg. 16.

ceret Christiani nominis divulsa jam propè & lacerata unitas, S. Memoria (a) Paulus III. tantis obstiturus malis anno Incarnationis Domini 1537. Œcumenicum Mantuæ indixit Concilium, sed præter expectationem, & suggerente tenebrarum rectore, Mantuana civitas Ecclesiæ ad hoc concessa non est, nisi sub quibusdam conditionibus, à nominis Ecclesiastici dignitate libertateque prorsus alienis, quibus merito jure non positis, alium deligere locum necesse fuit: nec aptior videbatur aut commodior quàm Vicentia, urbs quidem copiosa satis, & Venetorum, qui eam concedebant, auctoritate & potentia, tuta omninò, nullique non facilis: quapropter inibi generale Concilium indictum est, inchoandum Kal. Maii, ann. Domini 1538. Interim Papa, Carolum Imperatorem & Franciscum Regem Franciæ conciliare studuit, ideòque ipse & ambo illi Principes, Nicæam se contulère, Legatis antea Vicentiam missis, ad Concilium apparandum. Imperatorem inter & Regem pax iniri non potuit, sed ad decennium tantummodò induciæ firmatæ sunt; & adhuc semel & iterum indictum & dilatatum est ferè toto triennio Concilium; quo elapso tempore, tot pereuntium impatiens animarum, S. Pontifex, mutato loco, delectaque, postulantibus maximè Germanis, Tridentinâ Civitate, ibidem de novo Concilium denunciat ad Kal. Novemb. anni Incarnat. Domini M. D. XLII. verùm *Impediunt adversa jussa procellæ, nec sinet audiri vocem fragor æquoris ullum*. Ad principes diploma non missum est; quin infeliciter Imperatorem inter & Franciscum Regem bellum recens exardeat; unde sexcentis hinc & inde ortis interturbationibus, Concilium inchoari non potuit ante diem decimum tertium mensis Decemb. anno Domini 1545. Interim verò Lutherana hæresis, cum animarum ingenti cladè, mirum quantum subrepat, impietas bellorum fœtus, Europam ferè universam occupat, & Christianæ vix umbra superest religionis; ad hoc tollendum reformandumque, Tridentum Patres undique convolant: at, Deus immortalis! immensum consurgit opus, & in Lerna palude, hydra non una secunda est, manus multas poscit hoc opus, quibus ut arma subministrent Patres, Parochos, qui tunc temporis erant, plerique omnes tum scientiæ, tum religionis expertes, edocendos suscipiunt, ut deinde vulgus imperitum facilius possit erudiri. De ratione & modo divinum hoc exequendi consilium, postquam diu diligentiusque deliberatum est, comperère patres, ab hæreticis ingentia non tantum conficta esse volumina, quibus (b) Catholicam fidem evertere conabantur, verùm & infinitos ab iisdem conscriptos esse libellos, qui cum pietatis titulos & religionis speciem præ se ferrent, incredibile est quàm difficilè frumentum Chris-

(a) Vide diplom. in Bullario, pag. 667. (b) Vide Ind. librorum prohibitorum.